

etur: Quoniam per hominem mors, & per hominem resurrectionis mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur. Jam vero Mors ab Adam in omnes homines & singulos, tam impios, quam pios transit: Ergo à Christo dependet resurrectio omnium tam impiorum quam piorum.

Resp. Apostolus hic non loquitur in genere de resurrectione, quæ communis est piis & impiis, sed in specie de resurrectione, quæ solum est piorum & credentium, id quod probari potest, si paulò penitius verba præcedentia Apostoli perpendimus; nam Apostolus agit de illis, quibus Evangelium prædicaverat, qui illud acceperant in quo etiam stabant v. 1. per quod salutem erant consecuturi, v. 2. qui obdormierant in Christo, verum hæc omnia non possunt dici de impiis sed tantum de piis.

Obj. 2. Si Christus vi meriti Impiis acquisivit id, quod majus est, sequitur, quod acquisiverit etiam illis suo merito id quod est minus: sed acquisivit illis quod majus est, nempe remissionem peccatorum, cum DEO reconciliationem, victoriam Diaboli, & his similia. Ergo acquisivit etiam illis quod minus est, nempe resurrectionem corporum sive vitæ restitutionem quæ fiet per resuscitationem.

Resp. Canon hic *qui potest majus, ille etiam potest minus*, suas habet limitationes, ita nempe, qui potest majus ille etiam potest minus in majori scilicet inclusum, aliàs non sequitur: Plato potest intelligere (quod est majus) ergo etiam volare, quod est minus: quia intelligere in se non includit volare: itaque consequentia in hoc argum. non procedit, quia inter majus & minus bonum non est necessaria connexio, nec unum sub altero conti-